

Weisthum über die dem Kölner Kapitel von St. Maria
ad gradus in Meckenheim zustehenden Rechte.

1421, Juni 30.

Mitgetheilt von Pfarrer Dr. E. Berrisch.

Die dem unten folgenden buchstäblich genauen Abdruck eines bisher unbekannt gebliebenen Weisthums als Vorlage dienende Originalausfertigung steht auf einem Pergamentblatt von 66 cm Höhe und 57 cm Breite. Die Urkunde befindet sich im Archiv des Herrn von Cler zu Meckenheim, wohin sie aus dem Gerichtsschrein dieses Städtchens gelangt sein dürfte. Ausser den Buchstaben No I, einer alten Archivsignatur, trägt die Rückseite zweier Vermerke. Der ältere lautet: Instrumentum de iurisdictione nostra in Meckenheim de anno domini 1421, 30. iunii und röhrt noch von einer Hand des 15. Jahrhunderts her. Der jüngere, ziemlich weitläufige stammt aus dem 18. Jahrhundert und versucht durch kurze Rubriken den Inhalt des Weisthums anzudeuten. Er hat folgenden Wortlaut:

Documentum quod ad decanum et capitulum beatae Mariae in gradibus spectat dat dinckhauß in Meckenheim.

Wirtt ban und frid gebodden illorum nomine.

Spectat ad eosdem iudicium temporale, proprietas et fundus.

Item stock und bevangk.

Gebott und verbott.

Gewallit und overgriff.

Wasser, weide und wasserflus.

Angriff und gefenckniß.

Habent idem decanus et capitulum ad gradus constituere et destituere officiatos, scabinos, scultetum, preconem et advocatum.

Allein klockenklang unnd gevollch wirtt neben dem capitel ad gradus auch den hern zu Bonn zugewiesen.

Zur Erleichterung der Uebersicht und spätern Citate sind die einzelnen Fragen mit laufenden Nummern versehen und ebenso wie die andern Haupttheile der Urkunde als besondere Absätze gedruckt worden.

Vgl. das Weisthum über die Rechte des Kapitels von St. Kassius zu Bonn vom selben Tage bei Lacomblet, Archiv VI, S. 338—347.

In nomine domini amen. Noverint universi et singuli hoc presens publicum instrumentum visuri et legi audituri, quod || anno a nativitate domini millesimo quadringentesimo vicesimo primo, inductione quartadecima, die vero lune tricesima et ultima mensis iunii, hora decima vel quasi ante meridiem, pontificatus sanctissimi in || Christo patris et domini nostri domini Martini divina providentia pape quinti anno quarto, in nostrorum notariorum publicorum et testium infrascriptorum ad hoc vocatorum et rogatorum presentia personaliter constitutis venerabilibus et circum || spectis viris dominis Walramo de Kerpen preposito, Theodorico de Horst decano, Karsilio de Palant, Arnoldo de Synceren, Henrico de Ripa alias de Euskirchen, Bernardo et Rutghero de Castro fratribus, canonicis ecclesie beate Marie ad gradus Coloniensis, ipsorum proprietatum et capituli dicte ecclesie nominibus unacum Gerardo de Meckenheim armigero, ibidem nomine decani et capituli predictorum sculteto et scabino, congregatisque eciam et convocatis aliis suis conscabinis, videlicet providis viris Hen Geirlachs, Conrado de Meckenheim armigero, Gerlaco dicto Bruyninck, Henrico dicto Sluyne, Sybe filio Hen Geirlachs prenominati et Wyn ceterisque iuratis et preconibus neconon quam pluribus aliis, quorum intererat, presentibus et astantibus in pressura in loco et domo solitis et consuetis, in quibus iura redi solent, vulgariter dicta der heren dynchuys van sent Mariengreden, sita in dicta villa de Meckenheim infra limites et lapides vulgariter reynen ind steynen dominorum decani et capituli ecclesie beate Marie ad gradus predictorum supra fossatum ville prenominate ad observandum inibi more solito iudicium, quod proprie ungebaden gedynghe appellatur, quod quidem iudicium tribus vicibus in anno observari consuetum est et teneri, convenientibus, ipsisque dominis preposito, decano et canonicis prenominatis nominibus, quibus supra, in dicta domo ad possidendum huiusmodi iudicium unacum Gerardo sculteto et scabino neconon aliis suis conscabinis prenominatis pro tribunali sedentibus et inibi iudicialiter, ut apparuit, constitutis ac ad predicti iudicii debitam observationem, ut consuetudinis est et moris, procedere volentibus, honorabilis vir dominus Karsilius de Palant, canonicus supradictus, suo proprio et dominorum prepositi, decani et canonorum ibidem presencium ac capituli prefatorum nominibus, de ipsorum eciam, ut asseruit, iussu, voluntate et consensu desuper habitis et expressis, in ipso iudicio surgens proposuit et a Gerardo sculteto suisque conscabinis prenominatis ibidem iudicialiter consedentibus interrogavit, an esset tempus et hora observandi huiusmodi iudicium dominorum ecclesie beate Marie ad gradus predicte. Qui quidem Gerardus scultetus et sui conscabini prenotati deliberacione prehabita responderunt per os Hen Geirlachs scabini predicti, quod sic. Quo facto statim et in continenti ipse Gerardus scultetus prenominatus surgens

publice alta et intelligibili voce dicebat hec verba in vulgari theutonico vel eis in effectu similia: Ich doyn huyd zo daghe ban ind vrede van unser heren weghen van sent Mariengreden, der dyt gericht ind heirlicheit zo ghebuyrt, dat dat gericht nyeman en krenck noch wederspreche myt worden noch myt werken, he en willet besseren so als die scheffen wyst dat reicht sy.

1. Quo peracto prefatus dominus Karsilius ipsos scabinos et iuratos ibidem presentes sub eorum fidelitatis capitulo ecclesie beate Marie ad gradus predicte prestitis iuramentis hortabatur et ammonuit, ut sub dictis eorum iuramentis ibidem publice sententiarent et declararent, ad quem vel ad quos ipsi dominium ville de Meckenheim supradicte iudiciumque temporale, proprietatem et fundum ibidem spectare recognoscerent, ac cui vel quibus crederent pertinere? Ad que ipsi scabini et iurati, ut prefertur requisiti, surgentes et se ad partem dirigentes ac super questione huiusmodi deliberati revertentes et per prefatum Gerardum scultetum presidentem ad proferendum eorundem sententiam exhortati per os Conradi de Meckenheim armigeri scabini prenominati, pro omnibus, ut videbatur, loquentis, responderunt, quod dominium, iudicium temporale, proprietas et fundus huiusmodi ville intra limites et lapides sive metas, vulgariter reynen ind steynen dominorum decani et capituli ecclesie beate Marie ad gradus prefato, spectant et pertinent ac quodlibet eorum spectat et pertinet ad dominos decanum et capitulum ecclesie beate Mariae ad gradus supradicte, quibus eciam ipsi scabini et iurati supradicti huiusmodi dominium, iudicium, proprietatem et fundum intra limites et lapides ipsorum dominorum, ut prefertur, adiudicarent, prout per suos predecessores, scabinos et iuratos dominis decano et capitulo ecclesie supradicte semper adiudicari viderunt et audiverunt.

2. Deinde vero requisiti et moniti, ut supra, predicti scabini et iurati per dominum Karsilium memoratum, ad quem vel ad quos recognoscant cippum et ea, que ad cippum et vincula pertinent, vulgariter dicta stock ind byvangh in dicta villa de Meckenheim pertinere et spectare? Ad quos ipsi scabini iterum surgentes et se cum iuratis, ut premittitur, deliberantes et paulo post revertentes per prefatum Gerardum scultetum exhortati responderunt per os Henrici dicti Sluynen scabini prenotati dicentes: Stock ind byvangk spectant et pertinent ad dominos decanum et capitulum ecclesie beate Marie ad gradus predicte intra limites et lapides eorundem, vulgariter reynen ind steynen appellata. Subiunxit eciam idem Henricus Sluyn scabinus prenominatus de mandato et iussu prefatorum suorum conscabinorum et iuratorum sibi, ut videbatur, consentientium, ipsum cippum stare debere prope domum iudiciale prenominatam in loco, in quo staret de presenti supra fossatum, ac huiusmodi stock ind byvangk per dominos decanum et capitulum ecclesie beate Marie ad gradus predicte aut eorum nomine teneri debere et servari in debita structura, ita ut deprehensus et captus et in ipso positus seu incippatus secure detineri possit et servari.

3. Consequenter vero iidem scabini et iurati modo prescripto per prefatum dominum Karsilium requisiti, ad quem vel ad quos in dicta villa de Meckenheim mandare et inhibere, que gebieden ind verbieden vulgariter

nuncupantur, spectare et pertinere recognoscant? Ad quod dicti scabini surgentes et cum iuratis ibidem se deliberantes, ut supra, et denuo revertentes ac per prefatum Gerardum scultetum modo, quo supra, ad promulgandum eorundem sententiam exhortati responderunt per os Henr. Geirlachs scabini dicentis: Gebot ind verbot in Meckenheim spectant et pertinent ad dominos decanum et capitulum ecclesie beate Marie ad gradus prediche infra limites et lapides eorundem, vulgariter reynen ind steynen nuncupata, ad ipsorum utilitatem et necessitatem; violenciam vero et rebellionem, si que ipsis ibidem facte forent, habebit advocatus eorum in Meckenheim pro tempore existens deponere et corrigerem iuxta earundem exigentiam.

4. Subsequenter vero iidem scabini et iurati per prefatum dominum Karsilium modo premisso requisiti, cui vel quibus mensura in humido et sicco, similiter braxatura et pistura necnon statera, que in vulgari nuncupantur dye maesse nat ind druyghe, backen ind bruwen und die waghe, in dicta villa de Meckenheim adiudicarentur, et ad quem vel ad quos spectarent? Ad que dicti scabini et iurati, ut premittitur, deliberati et per Gerardum scultetum, ut prefertur, exhortati responderunt per os Henrici Sluyne scabini ibidem dicentis, quod infra limites et lapides, vulgariter reynen ind steynen dominorum ecclesie beate Marie ad gradus prediche, spectant et pertinent ad eosdem dominos de capitulo ipsius ecclesie beate Marie ad gradus prediche, recognoscentes nichilominus iidem scabini et iurati, se huiusmodi braxaturam et pisturam unacum mensura et statera supradictis et earum emolumenta a prefatis dominis de capitulo dictae ecclesie beate Marie ad gradus gracie recepisse, habere et tenere, violenciam vero contra premissa factam seu commissam habebit advocatus pro tempore existens, ut proxime supra, deponere et corrigerem.

5. Postea vero requisiti prefati scabini et iurati per prefatum dominum Karsilium, ut supra, super excessibus, violenciis et surrepcionibus in nemoribus et agris, que in vulgari gewalt ind oyvergryff nuncupantur, ad quem vel ad quos recognoscant spectare et pertinere? Ad quod prefati scabini, ut premittitur, surgentes et post deliberacionem cum iuratis predictis desuper habitam redeuntes, exhortati prius per Gerardum scultetum prenominatum, responderunt per os Gerlaci dicti Bruyninck scabini dicentis, quod huiusmodi excessus, violencie et surrepciones, vulgariter dicta gewalt ind oyvergryff, spectant et pertinent ad dominos decanum et capitulum ecclesie beate Marie ad gradus sepedicte et hoc infra eorundem dominorum limites et lapides ipsius ville, vulgariter reynen ind steynen.

6. Deinde vero prenominati scabini, ut premittitur, per prefatum dominum Karsilium interrogati et requisiti, cui vel quibus sonitum campane et sequelam, proprie klockenklanck ind gevolghe appellata, pertinere recognoscant? Ad quod iidem scabini, ut premittitur, surgentes et cum iuratis predictis se deliberantes per prefatum Gerardum scultetum exhortati responderunt per os Syben, filii Henr. Geirlachs, scabini dicentis, quod tam sonus campane quam sequela, proprie klockenklanck ind gevolghe, ipsius ville de Meckenheim, dum opus fuerit, dominis tam beate Marie ad gradus Coloniensis predice

quam sancti Cassii Bunnensis ecclesiarum decanis et capitulo ad eorundem utilitatem et necessitatem pertinere recognosceretur, prout et ipsi eciam recognoscerent et adiudicarent.

7. Deinde vero requisiti iidem scabini et iurati per prefatum dominum Karsilium modo, quo supra, ad quem vel ad quos recognoscerentur aquae et pascua et aqueductus, vulgariter dicta wasser ind weyde ind wasservloisse, in illa villa de Meckenheim spectare et pertinere? Qui quidem scabini super premissis cum iuratis ibidem se deliberantes et per prefatum Gerardum scultetum exhortati responderunt per os Conradi de Meckenheim armigeri scabini supradicti dicentes, quod aque et pascua et aqueductus, proprie wasser ind Weide ind wasservloysse, infra limites et lapides, vulgariter reynen ind steynen dominorum ecclesie beate Marie ad gradus predicte, spectarent et pertinerent ad eosdem dominos, eo salvo, quod ipsi villani sive rustici dicte ville haberent et tenerent huiusmodi a prefatis dominis de capitulo ecclesie beate Marie ad gradus in feodum, et excessus in premissis quomodolibet factos habet advocatus pro tempore amovere et corrigere.

8. Consequenter requisiti prefati scabini et iurati per dominum Kar-
silium canonicum memoratum, si quis malefactor foret deprehensus infra
limites et lapides dominorum capitulo ecclesie beate Marie ad gradus predicte,
per quem vel quos aut quomodo talis malefactor deberet apprehendi, detineri,
incarcerari et custodiri? Ad que ipsi scabini cum iuratis prenotatis, deli-
beracione prius habita et per Gerardum scultetum supradictum exhortati,
responderunt per os Wyn scabini predicti dicentes, quod talis malefactor per
preconem dominorum capitulo ecclesie beate Marie ad gradus predicte debeat
apprehendi, incippari et incarcerationi ac per eundem preconem ad tertium
diem custodiri expensis capitulo dicte ecclesie beate Marie. Quo quidem
malefactore infra huiusmodi triduum per advocatum pro tempore dominorum
dicte ecclesie beate Marie ad gradus existentem non iudicato aut aliunde
liberato remanente, extunc in ortu solis tercie diei per preconem supradic-
tum de cippo dimitti deberet ac liberari ac ad quoddam quadrivium extra
villam predictam duci inibique dictis quatuor viis sibi demonstratis ipsi iu-
bebitur, ut unam ex eisdem quatuor viis, quam duxerit eligendam, carpat
et quo voluerit, libere transeat et recedat.

9. Postea vero requisiti prefati scabini et iurati per prefatum dominum Karsilium, ut supra, quis habeat vel qui habeant eligere, ponere et constituere ac deponere et destituere officios in Meckenheim, videlicet scultetum, scabinos et precones? Ad quod iidem scabini, deliberatione matura cum iuratis supradictis prehabita, per prefatum Gerardum scultetum exhortati responderunt per os Gerlaci Bruyninck scabini prenominati dicentes expresse, quod decanus et capitulum dicte ecclesie beate Marie ad gradus habent constituere suos scabinos, scultetum et preconem et advocatus pro tempore exists habet similiter constituere suum scultetum et preconem, subiungens nichil minus idem Gerlacus scabinus de ratihabitione suorum conscabinorum et iuratorum dixit, quod scabini non tenentur alicui alia fidelitatis iuramenta prestare, quam ea, que ipsis dominis de capitulo ecclesie beate Marie supra-

dicte de bonis, que possident ab eisdem dominis, et tempore acceptacionis et confirmacionis huiusmodi bonorum prestiterunt, sed scultetus et preco advocati tenentur ipsi advocato fidelitatis prestare iuramenta, et idem preco tenetur similiter iurare scabinis sicut advocato.

10. Consequenter vero requisiti iidem scabini et iurati per prefatum dominum Karsilium, ut supra, quis habeat vel qui habeant in ipsa villa de Meckenheim supradicta ponere et instituere advocationum pro tempore et huiusmodi sic positum et institutum deponere et destituere? Ad quod ipsi scabini surgentes, ut supra, et cum iuratis predictis se mature deliberantes, exhortati per prefatum Gerardum scultetum modo, quo supra, responderunt per os Conradi de Meckenheim armigeri scabini predicti dicentis, quod domini decanus et capitulum ecclesie beate Marie ad gradus predicte habent ponere et instituere advocationum pro tempore in dicta villa de Meckenheim infra eorundem limites et lapides.

11. Ceterum interrogati et requisiti iidem scabini et iurati, pro quo aut quomodo tenebitur advocationis pro tempore in Meckenheim? Responderunt per os Wyn scabini predicti dicentis, quod advocationis pro tempore nomine dominorum prescriptorum habet et debet ipsis dominis ibidem et eorum infeudariis quascunque violencias, dum opus fuerit, eos defensando deponere et penitus amovere.

12. Tandem requisiti, an ne ipsi advocationum ibidem pro advocatione temporali et electo recognoscant? Ad quod sane deliberati per os Conradi scabini prenominati responderunt, quod recognoscunt eum pro advocatione temporali dominorum prescriptorum, qui ipsis dominos et ecclesiam eorundem ac infeudarios ibidem tenetur, quociens et quando ipsis opus fuerit, verbis et factis defensare et ita semper a suis predecessoribus scabinis et iuratis ibidem sentenciari, reputari et teneri viderunt et iudicari audiverunt, et aliud de premissis ipsis non constaret.

13. Postremo vero requisiti de iuribus advocationis pro tempore in Meckenheim, que et qualia huiusmodi sint? Responderunt dicti scabini et iurati per os Hen Geirlachs pro eis respondentis, quod advocationis pro tempore habebit pro iure suo in Meckenheim excessus in iudicio temporali ibidem, que proprie wedde appellantur, et temporibus iudiciorum, que proprie ungeboden gedinghe nuncupantur, unum maldrum tritici, duo maldra avene, nuncupata vulgariter vaidteven, quatuor sextaria vini, duos pullos, medianam liberam cere, medium talentum piperis et semel in anno tredecim denarios cum dimidio pro quadam porcello, qui virsslinc appellatur.

Super quibus omnibus et singulis huiusmodi decretis scabinalibus sive sentencias ac adjudicationibus et recognitionibus et eorum quolibet singulariter honorabilis vir dominus Karsilius canonicus memoratus suo proprio ac capitulo ecclesie beate Marie ad gradus predicte nominibus arras tam ipsis scabinis quam iuratis prenotatis, tocens quociens huiusmodi decreta sive sentencie, adjudicaciones et recognitiones prescripte et eorum aliquod sive aliisque per ipsis scabinos et iuratos, ut prescribitur, promulgabatur sive promulgabantur, ferebatur aut ferebantur, in medium ipsorum scabinorum obtulit et

proiecit et a nobis notariis publicis infrascriptis unum vel plura publicum seu publica fieri peciit instrumentum seu instrumenta ad dictamen cuiuslibet sapientis. Et postremo premissis sic peractis et ipsis dominis de capitulo ecclesie beate Marie ad gradus predicte necnon Gerardo sculteto et scabinis prenominatis a dictis bancis scabinalibus surgentibus et locum iudicialem prenotatum exeuntibus venerabilis et circumspectus vir dominus Theodericus decanus prelibatus tam suo ipso quam capituli dicte ecclesie beate Marie nominibus, ut premissa omnia communitati dicte ville de Meckenheim et aliis tam senioribus quam iunioribus ibidem astantibus in pressura innotescerent et sic peracta perhenniter retinerentur in memoria, pecunias sine numero in medium astancium proiecit et dispersit in signum memorialis sempiterni.

Acta fuerunt hec in villa de Meckenheim predicta sub anno, indicione, die, mense, hora, loco et pontificatu, quibus supra, presentibus ibidem illustri et nobili ac discretis viris dominis Gerardo de Manderscheit maioris Coloniensis, Friderico de Oirsbecke cantore, Wynrico Schillinck de Vylke, Walramo Passart, Wynando Olmesheim, Theoderico Bemel et Johanne de Wyppervoerde canoniciis ecclesie sancti Cassii Bunnensis, Henkino Larenson, Lodewico Burger, Johanne Hangel, Hermanno Bele Rinschen son, Hennone Jonge dicto Scirpp, Weltero Jonge, Winkino Hangel, Thoma Fabro superiori, Johanne Fabro inferiori, Teilgino de Roere, Heynone Maich, Henkino Joncker Heinrich son et Conrado Clockener, iuratis laicis dicte ville de Meckenheim, et multis aliis ibideim astantibus in pressura testibus ad premissa.

Et ego Nicolaus Lyffgher de Goch, clericus Coloniensis diocesis, publicus apostolica et imperiali auctoritate notarius, quia requisicionibus, exhortacionibus scabinorum et iuratorum, responsionibus, decretis, sentenciis, adiudicationibus et recognitionibus iudicialibus prescriptis ac omnibus aliis et singulis premissis, dum sic, ut prenarratur, agerentur et fierent, unacum magistro Gobelino connotario meo infrascripto et testibus prenominatis presens interfui eaque sic fieri vidi et audivi, ideo hoc presens publicum instrumentum desuper in notam receptum manuque mea propria scriptum exinde confeci, subscripsi et in hanc publicam formam redigi signoque, quo apostolica utor auctoritate, et nomine meis solitis et consuetis signavi rogatus et requisitus in fidem et testimonium omnium premissorum.

Et ego Gobelinus dictus Loyke de Wippervurde, clericus Coloniensis diocesis, publicus imperiali auctoritate notarius, quia premissis omnibus et singulis, dum sic, ut suprascribitur, agerentur et fierent, unacum magistro Nicolao predicto, meo connotario, et testibus infrascriptis presens interfui ea sic fieri videns et audiens, ideoque hoc presens publicum instrumentum per nos in notam receptum et per eundem magistrum Nicolaum fideliter conscriptum exinde confeci et publicavi, quod signo et nomine meis solitis et consuetis signavi rogatus et requisitus in fidem et testimonium omnium premissorum¹.

1) Vor den Vermerken der Notare stehen deren Zeichen, das des Nikolaus Lyffgher mit der Devise: Ultra posse nichil.
